

iii            P Y T H I A S            D O R I A S            P H A E D R I A

*PY.* Vbi ego illum scelerosum misera atque inpium inveniam? aut ubi quaeram?

hoccin tam audax facinu' facere esse ausum! *PH.* perii: hoc quid sit vereor.

*PY.* quin etiam insuper scelu', postquam ludificatust 645 virginem,

vestem omnem miserae discidit, tum ipsam capillo conscidit.

5            *PH.* hem. *PY.* qui nunc si detur mihi,

ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico!

*PH.* nescioquid profecto absente nobis turbatumst domi.

adibo. quid istuc? quid festinas? aut quem quaeri', 650 Pythias?

*PY.* ehēm Phaedria, egōn? quem quaeram? in' hinc quo dignu's cum donis tuis

10            tam lepidis? *PH.* quid istuc est rei?

*PY.* rogas me? eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit!

virginem quā erae dono dederat miles, vitiavit. *PH.* quid ais?

*PY.* perii. *PH.* temulenta's. *PY.* utinam sic sint 655 qui mihi male volunt!

*DO.* au obsecro, mea Pythias, quod istuc nam monstrum fuit?

15 *PH.* insanis: quī istuc facere eunuchu' potuit? *PY.* ego illum nescio